



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 6. Quomodo Corpus Christi Domini est in Eucharistia?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

## 164 TRACTATUS IV.

nis Panis , sufficit ut ponatur Corpus Filii Dei, & ad veritatem verborum consecrationis vini, sanguis , cætera verò ex necessaria connexione ; nam cùm Christi Corpus sit vivens , esse nequit sine sanguine , anima , & divinitate.

S. Tho. 3. p. Sub speciebus Panis , ait Divus Thomas, q. 76. art. 2. sanguis Christi est ex reali concomitantia sicut in corp.

*sanguis Christi est ex reali concomitantia sicut anima & divinitas , eò quod nunc sanguis Christi non est ab ejus corpore separatus , sicut fuit tempore Passionis & mortis . Vnde si tunc fuisset hoc Sacramentum celebratum sub speciebus Panis , fuisset Corpus Christi sine sanguine , & sub speciebus vini , sanguis sine Corpore , sicut erat in veritate.*

Ques. 6. Quomodo Corpus Christi Domini est in Eucharistiae Sacramento?

Resp. Ad hujus intelligentiam sciendum est D. Th. 3. p. cum Divo Thoma , quod Corpus Christi est q. 76. art. 3. in hoc Sacramento per modum substantia , id in corp. est , per modum quo substantia est sub dimensionibus , non per modum dimensionum , id est , non per modum illum quo quantitas dimensionis alicujus Corporis est sub quantitate dimensionis loci . Manifestum est autem quod natura substantia tota est sub qualibet parte dimensionum sub quibus continetur , sicut sub qualibet parte Panis est tota natura Panis : & hoc indifferenter , sive sint dimensiones actu divisa , ( sicut cùm aër dividitur , vel Panis secatur ) vel etiam sint actu indivisa . divisibles verò potentia .

Ex his patet quomodo totus Christus sit sub qualibet parte specierum Panis , non modò cùm hostia est divisa , verùm etiam cùm tota integra est ; sicut ratio substantiae in toto continuo , & in totis ejus partibus invenitur : ne-

Cath. Conc. que enim , ait Catechismus Romanus , p. 2. p. 29 de Eu- Christum Dominum ea ratione in Sacramento

esse dicimus, ut magnus, aut parvus est, char. Sacram.  
quod ad quantitatem pertinet, sed ut substan- num. 43.  
tia est. Substantia enim Panis in Christi sub-  
stantiam, non in magnitudinem, aut quan-  
titatem, convertitur. Nemo verò dubitat sub-  
stantiam & què in parvo, atque in magno spa-  
tio contineri: nam & aëris substantia, tota-  
que ejus natura sic in parva ut in magna  
aëris parte, itemque tota aqua natura non  
minus in urnula, quam in flumine insit, ne-  
cessè est. Cùm igitur Panis substantia Corpus  
Domini succedat: fateri oportet ad eundem  
planè modum in Sacramento esse, quo modo  
Panis substantia ante consecrationem. Ez verò  
utrum sub magna, an sub parva quantitate  
esset, nihil ad rem omnino pertinebat.

Unde ut ait sanctus Augustinus relatus in  
Canone, *Singuli accipiunt Christum Domi-* Can. Singuli  
*num, & in singulis portionibus totus est: nec De Consecr.*  
*per singulos minuitur, sed integrum se præbet dist. 2,*  
*in singulis.*

---

C A P U T VIII.

*De speciebus Sacramentalibus.*

Quæst. 1. Q U I D sunt species Sacramen-  
tales?

Resp. Nihil aliud per species Sacramentales  
significatur, quam accidentia Panis, & vini,  
quæ remanent post consecrationem, cuiusmo-  
di sunt figura, color, odor, sapor, & similia;  
& hoc est quod Theologi, post Magistrum  
sententiarum, appellant Sacramentum tan-  
tum.

Quæst. 2. Quid est illud quod vocant Sa-  
cramentum tantum; Sacramentum, & rema